



Martinus filius fuit Georgij Amelij Iurecon-
sulti doctissimi, qui multis annis in Fribur-
genſi Academia magna laude Iura profeſſus erat:
Natus eſt is Friburgi Briſgauriæ anno 1526. Cum
autẽ ea familia antiquitus uernacula lingua Acht-
ſynitt diceretur, pater primus id cognomen Græco
ſenſu protulit, et ſe Amelium adeoq̃ minimẽ curio-
ſum nominauit, ut qui omnium rerum impiam ſo-
licitudinem & curam Deo commiſerit. A tali ergo
patre Martinus prognatus, atq̃ ab eodem in omni
genere literarum optimẽ inſtitutus eſt. Accedebat
etiã religionis amor, et ſingularis uitæ ſynceritas.
Id cum in adoleſcente Marchiones Badenſes intel-

lexiſſent, eum ad ſe uocarunt, & Pfortzheimij cum Oſualdo Gut Cancellario
ſene & prudentiſſimo res adminiſtrare iuſſerunt. Sic factum ut Martinus ab
Oſualdo rerum uſum didicerit, & loco filij dilectus fuerit. Accidit poſtea ut
Martinus anno 1553 à Carolo Marchione Legatus Vuiennam ad Ferdinandũ
regem mitteretur. Ibi cum Ferdinãdus Martini indolem cognouiſſet, eum no-
bilitate numero aſcripſit, & quibuſdam priuilegijs decorauit. Vuienneniſis
quoq̃ academia eum I. V. Doctorem creauit, atq̃ eruditioni & uirtuti digna
præmia tribuit. Cum hoc modo honoribus auctus, & legatione expedita do-
mum rediſſet, ſequenti ſtatim anno poſt Oſualdi obitum principis Cancellari-
us conſtituitur, anno ætatis 28.